

appellant, produntur Arimaspi quos diximus, mo-
 oculo in fronte media insignes: quibus assidue bellum
 esse circa metalla cum gryphis, ferarum volucris gene-
 re quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum,
 mira cupiditate & feris custodientibus, & Arima-
 spis rapientibus, multi, sed maxime illustres Herodo-
 tus & Aristaeas Proconnesius, scribunt. Super alios
 autē Antropophagos Scythas, in quadā cōualle ma-
 gna Imai mōtis, regio est quæ uocatur Abarimon, in
 qua syluestres uiuūt homines, auersis post crura plan-
 tis, eximie uelocitatis, passim cū feris uagantes. Hos
 in alio non spirare cælo, ideoq; ad finitimos reges non
 pertrahi, neq; ad Alexandrum magnum pertractos,
 Beton itinerum eius mensor prodidit. Priores An-
 thropophagos, quos ad septentrionem esse diximus,
 x. dierum itinere supra Borysthenem amnem, ossibus
 humanorū capitū bibere, cutibusq; cum capillo pro-
 mantilibus ante pectora uti, Isigonus Nicænsi. Idem
 in Albania gigni quosdam glauca oculorū acie, à pue-
 ritia statim canos, qui noctu plus q̄ interdiu cernant.
 Idem itinere dierum x. supra Borysthenem, Sauroma-
 tas tertio die cibum capere semper. Crates Pergame-
 nus in Hellepōto circa Parium, genus hominum fuisse
 tradit, quos Ophiogenes uocat, serpentum ictus con-
 tactu leuare solitos, & manu imposta uenena extra-
 here corpori. Varro etiam nunc esse paucos ibi, quo-
 rum saluæ contra ictus serpentum medeantur. Simi-
 lis & in Africa gens Psyllorum fuit, ut Agatharchi
 describit, à Psyllo rege dicta, cuius sepulchrum in
 parte Syrtium maiorum est. Horum corpori ingeni-
 tum fuit uirus exitiale serpentibus, ut cuius odore so-
 pirēt eas. Mos uero, liberos genitos protinus obijci-
 di seuissimis earum: eoq; genere pudicitiam cōiugum
 experiendi, nō profugientibus adulterino sanguine na-
 tos serpētibus. Hæc gens ipsa quidē prope internicio-
 ne sublata est à Nasamonibus, qui nunc eas tenent se-
 des: genus tamen hoīum ex his qui profugerant, aut
 cum pugnatum est, abfuerāt, hodieq; remanet in pau-
 cis. Simile & in Italia Marsorum gente durat, quos
 à Circes filio ortos ferunt, & ideo inesse eis vim natu-
 ralem eam. Et tamen oībus hoībus contra serpentes
 inest uenenum. Feruntque ictas saliuæ, ut feruentis
 aquæ contactum fugere. Quod si in fauces penetraue-
 rit, etiam mori: idq; maxime humani ieiuni oris. Su-
 pra Nasamonas confinesq; illis Macblyas, Androg-
 nos esse utriusq; naturæ, inter se uicibus coeuntes, Cal-
 liphænes tradit. Aristoteles adijcit, dextrā mammā
 ijs virilem, leuam muliebrē esse. In eadem Africa fa-
 milias quasdam effascinantium, Isigonus & Nym-
 phodorus tradunt: quarū laudatione intereant proba-
 ta, arefcant arbores, emoriantur infantes. Esse eiusdē
 generis in Triballis & Illyrijs, adijcit Isigonus, qui ui-
 su quoq; effascinent, interimantq; quos diutius intue-
 antur, iratis præcipue oculis: quod eorū malū facilius
 sentire puberes. Notabilius esse q̄ pupillas binas in
 oculis singulis habeant. Huius generis & fæminas in

Scythia, quæ uocantur Bithyæ, prodit Apollonides.
 Philarchus & in Pontu Tibiorum genus, multosque
 alios eiusdem naturæ: quorū notas tradit ī altero ocu-
 lo geminam pupillam, in altero equi effigiem: Eosdem
 præterea non posse mergi, ne ueste quidē degrauiatos.
 Haud dissimile ijs genus Pharmacum in Aethiopia
 prodidit Damon, quorū sudor tabem contactis corpo-
 ribus afferat. Fæminas quidem omnes ubiq; uisu noc-
 cere: q̄ duplices pupillas habeant, Cicero quoq; apud
 nos autor est. A deo naturæ, cum ferarū morē uescen-
 di humanis uisceribus in homine genuisset, gignere
 etiam in toto corpore & in quorundam oculis quoq;
 uenena placuit: ne quid usquam mali esset, quod in ho-
 mine non esset. Haud procul urbe Roma in Falisco-
 rum agro familia sunt pauca, quæ uocantur Hirpiæ:
 quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem
 Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes
 non aduruntur. Et ob id perpetuo senatusconsulto mi-
 litia oīumq; aliorum munerum uacationem habent.
 Quorundam corpore partes nascuntur ad aliqua mi-
 rabiles: sicut Pyrrho regi pollex ī dextro pede, cuius
 tactu lienosis medebatur. Hūc cremari cum reliquo
 corpore nō potuisse tradunt, conditumq; loculo in tē-
 plo. Præcipue India Aethiopumque tractus, miracu-
 lis scatent. Maxima in India gignuntur animalia. In-
 dicio sunt canes grandiores cæteris. Arbores qui-
 dem tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis supe-
 rari nequeant. Hæc facit ubertas soli, temperies cæli,
 aquarum abundantia (si libeat credere) ut sub vna
 ficu turmæ condantur equitum. Arundines uero tan-
 tæ proceritatis, ut singula internodia alueo nauigabi-
 li ternos interdum hoīes ferant. Multos ibi quina cu-
 bita constat longitudine excedere: non expuere: non
 capitis, aut dentium, aut oculorum ullo dolore affici,
 raro aliarū corporis partium: tam moderato solis ua-
 pore durari. Philosophos eorum quos Gymnosophi-
 stas uocant, ab exortu ad occasum perstare, contuen-
 tes solem immobilibus oculis: feruentibus harenis to-
 to die alternis pedibus insistere. In monte cui nomen
 est Milo, homines esse auersis plantis, octonos digitos
 in singulis pedibus habentes, autor est Megasthenes.
 In multis autem montibus genus hominum capitibus
 caninis, ferarum pellibus uelari, pro uoce latratū ede-
 re, unguibus armatū, uenatu & aucupio uesci. Horū
 supra cxx. M. fuisse prodente se, Ctesias scribit: & in
 quadam gente India, fæminas semel in uita parere, ge-
 nitosque confestim canescere. Item hominum genus
 qui Monosceli uocaretur, singulis cruribus, mira per-
 nicitatis ad saltum, eosdemq; Sciopodas uocari, quod
 in maiore æstu humi iacentes resupini, umbra se pe-
 dum protegant: nō lōge eos à Troglodytis abesse. Rur-
 susq; ab his occidentem uersus quosdam sine ceruice
 oculos in humeris habētes. Sunt & Satyri subsolanis
 Indorum montibus (Cartadulorū dicitur regio) per-
 nicissimum animal: tum quadrupes, tum recte cur-
 rentes humana effigie, propter uelocitatem nisi senes

* istu saliuæ, ut ferue-
 ris aquæ cō-
 tactu fuge-
 re.

g iij aut